

atque in coniugium tradiderunt; ducentis vero, qui remanserant, quia nec filias suas tradere poterant, constricti iuramento et maledictione, qua iuraverant nequaquam se eis daturus de filiabus suis uxores, nec alias invenire poterant, quas eis libere traderent, sicut fecerant, ex habitatoribus Iabes Galaad, qui nec in illo iuramento interfuerant et postea in tam publico et religioso bello adesse neglexerant ac per hoc legitime interfici iussi sunt et ex eis quadringentae tantum virgines resignatae, quae ad reparationem tribus Beniamiticae adducerentur. Erant itaque residui habitatores Silo, ubi tunc constitutum erat tabernaculum dei, qui nec in illo iuramento nec in illa pugna forsitan immunitate sanctuarii, cui pro vicinitate familiaris vel etiam assidue famulabantur, fuisse credendi sunt et idcirco licenter dare potuisse istas filias suas in coniugium, sed quadam duritia et execratione illius facinoris, quod a tribu Benjamin fuerat perpetratum, facere noluisse.

CAPUT XVI³¹⁵. Restabat igitur, ut, quia nec parentes legitime compelli poterant, ut nolentes darent filias suas et rem voluntatis ex necessitate facerent, nec ipsae filiae hostiliter eis^{m'} essent auferendae, ipsis virginibus procedentibus solemnissimo die ad sanctuarium domini chorosque ducentibus ducenti illi viri absque coniugibus ex consultu et consilio atque auctoritate populi et seniorum pro redintegratione eiusdem populi et conversatione divini ministerii^{n'} repente eis occurrerent et ex his singuli singulas sibi uxores caperent^{o'}. In qua re iam nulla metuenda esset divina indignatio, cum pro amore et honore divino et pro dei causa totum ageretur. Qui illi tribui paene usque ad internecionem deletae et in transacto bello iam restituerat, quod merebatur, et in presenti consultu^{p'} occulta eis inspiratione et providentia miserebatur. Servata ergo ubique iustitia, cum neque illae puellae aliqua lascivia vel contumacia, sed necessitate sola a^{q'} parentum suorum regimine abductae essent nec illi, qui eas ceperant, aliquid suo libitu vel temeritate, sed populi et seniorum iussione atque auctoritate fecissent, restabat sola parentum querimonia rationabili satisfactione sopi- enda, de qua eis maiores natu ita dixerunt: *Cumque*³¹⁶ *venerint paren-*

m') sibi *Mi.*
concurso.

n') mysterii *Si.*
q') fehlt *Mi.*

o') acciperent *Si.*

p') *Konjektur Bu*

315) Zum Inhalt der Kapitel 16 und 17, der Gefahr der Fehlinterpretation biblischer Beispiele, vgl. auch Rachel STONE, *Beyond David and Solomon: Biblical models for Carolingian laymen*, in: Gott handhaben. Religiöses Wissen im Konflikt um Mythisierung und Rationalisierung, hg. von Steffen Patzold / Florian Bock (2016) S. 189–202, hier S. 201.

316) *Iudic.* 21,22.